

### I.3

#### CONCESSIO LIBERTATIS

[1204 settembre 8-11], Grosseto - Santa Fiora

Il conte Ildebrandino (VIII), per sé, sua moglie Adalasia e i suoi figli, concede ai Grossetani la *libertas*, secondo i *capitula* precisati per iscritto. In Grosseto. Segue la promessa di Adalasia di osservare la detta concessione. In Santa Fiora.

Copia semplice fine XIII-inizi XIV secolo, ASS, *Capitoli* 20, cc. 1v-2v.

Edizione: M. MORDINI, *Note sull'origine e la formazione del Comune di Grosseto nei secoli XII-XIII*, "Studi Senesi", CVII/II (1995), pp. 288-320, in particolare pp. 310-314.

Regesto: ASS, *Ms B 21*, n. 829, c. 236r.

In nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Nos Ildibrandinus Dei gratia comes palatinus, per nos et uxorem nostram comitissam Adelasiam et filios nostros, universis habitatoribus Grossetane civitatis presentibus et futuris in perpetuum dum ibi habitaverint ubi modo habitant, maxima nobis et predecessoribus nostris obsequia usque modo a Grossetanis exhibita nec non et fidei puritas quam erga nostre domus dominos in opportunitatibus semper efficaciter ostenderunt nos vehementer inducunt ad compatiendum in adversitatibus eorum, et auxilium et consilium nostrum pro posse eis largiendum, unde est quod de maximis eorum dampnis que combustione civitatis Grosseti noviter sunt perpessi, solatium impartiri cupientes ut ea prosint gravitate minori tollerare, domos suas reparare dictaque civitas meliorationem et incrementum valeat optatum adipisci, et nobis et heredibus nostris proviores ipsi et ad serviendum promptiores eadem boni mensura qua messi fuerimus illis remiclientes<sup>1</sup> pro bonis bona reddentes nobis semper inveniantur, de debitibus et consuetis servitiis, curie nostre maximam eis partem relaxamus, statuentes et donantes ea quod nobis et heredibus nostris ipsi et venturi ad habitandum illuc de iure, pacto, et promissione firma de cetero facere debebunt, quibus omnibus presentibus videlicet et futuris libertatem firmam sicut per singula subscriptientia capitula concedimus et donamus: in primis ante omnia Grossetanos habitatores omnes presentes et futuros absolvimus ab omni emptione, prestantia et vendictione factis per vim ab aliqua persona; et ab omni cuiuslibet rei ablatione per vim similiter, nisi fiat pro bannis et aliis rationibus curie que auferri debeant sicut in carta ista continetur. Item absolvimus eosdem ab omni ripa, pedagio et guida, per vim in toto districtu Grosseti. Item absolvimus omnes vicinos Grossetane civitatis olim insuetos Grosseti curaturam dare ab omni eius exactione; et mercatores provenientes ad Grossetum ad aliquod mercatum comparandum similiter ne aliquod ibi largiatur nisi ut antiquitus largiri solebant. Item relaxamus universis omnem pene impositionem ex parte curie, excepto quod imponens penam X solidorum curie persolvat; et cui fuerit imposita persistat absolutus. Item banna stranea et dissueta quibus imposta fuerint obmittimus ex toto; imponentes tamen ea XX solidorum curie pagent. Item volumus quod nullum bannum a XL solidis superius valeat; sed a XL solidis inferius volumus banna valere in hunc modum: si qua persona pro aliquo suo debito vel ratione recuperanda, personam aliquam aliam in bannum a XL solidis inferius miserit, ipse qui missus fuerit pagabit bannum curie si se defendere non poterit quod ipse in ipsum non ceciderit et debitum vel rationem persolvet ei qui bannum imposuerit et debitum vel rationem habere debebit; et si defendere se poterit, pagabit ille qui bannum mictet tantum quantum fuerit illud quod denominabitur a mictente pro banno. Item remittimus universis hominibus de Grosseto presen//tibus et futuris totum afflictum quod de Grosseto habere debebamus de hinc ad V annos completos; et a V annis in antea usque ad XX annos reservamus nobis et heredibus nostris X solidos de unoquoque foco de Grosseto anuatim; a XX annis in antea, in perpetuum XX solidos pro

<sup>1</sup> Segue pro nobis cassato.

quolibet foco similiter anuatim, exceptis omnibus albergariis et illis qui noviter et antiquitus a nobis vel a patre nostro seu matre nostra quod concesserimus liberi facti sunt inde vel liberabuntur in futuro a nobis vel heredibus nostris, dum tamen ipsi nostri heredes nobis et uxore nostra comitissa Adelasia viventibus nullam alicui libertatem largiantur et si quam dederint non valeat; de quorum omnium focus supradictorum scilicet exceptorum nichil habebimus. Item de sale quod Grosseti per tempora fiet reservamus nobis similiter medietatem sicut hattenus habuimus, excepto eorum sale qui liberi sunt et fuerint ut dictum est; et pro quolibet curru dicti salis, de quo partem habere debemus, XII denarios pro carregiatura dabimus et non plus nec minus quicquid constet ad carreiandum. Et non faciemus de cetero aliquam doganam de sale Grosseti fieri preter istam completam, nisi fieret comuni consilio terre ipsius. Item reservamus nobis et heredibus nostris banna quedam secundum subscriptum modum: de percussura ferri facta et vulnere, utpote cultelli, spate seu alterius ferri unde sanguis exierit, si infra muros civitatis fuerit, pagabit LX solidos; similiter etiam de eo qui alium vocaverit perjurium vel bocçam irato animo reservamus nobis LX solidos infra muros civitatis, de foris vero de utroque solidos XL. Item de macce vel bastonis percussione irato animo facta XX solidos si sanguis inde exiverit, et si sanguis non exiverit X solidos. Item de gotata V solidos; exceptis de supradictis omnibus familiaribus propriis et hiis qui super furtum vel aliquod dampnum fuerint inventi et etiam hiis qui in estate non essent, de quibus omnibus nulla persona teneatur; mulieres tamen bannis adeo gravibus puniri nolimus, quia de ghotatis et capillis inter se factis nichil tribuent, sed si aliqua femina irato animo aliquem hominem perjurium vel bocçam vocaverit, pagabit curie XX solidos; et si una femina in bocçam maritum alium vocaverit, pagabit similiter X solidos curie; de quibus omnibus suprascriptis bannis excipiantur omnes mulieres et omnes quocumque modo exempti et quicquid fiet ioco battallie. Et ea castaldus noster auferret ab eis qui pagare ipsa debebunt, postquam inde querimoniam<sup>2</sup> accipiet ac faciet debitum ei qui bannum mictet si pro debito vel ratione recuperanda bannum positum fiet; verumtamen de percussionibus ferri, macce ac bastonis querimoniam nullam expectet. Item volumus quod castaldus noster iuret consulibus de Grosseto anuatim sicut alii homines eiusdem terre; et iurabit observare omnia capitula ad ipsum pertinentia pro facto curie superius et inferius scripta, et contra nullo ingenio venire. Ad hoc<sup>3</sup> preter supradicta damus hominibus de Grosseto presentibus et futuris liberam potestatem mittendi consules in Grosseto, sicuti antiquitus consuevit, tantum si nobis et uxori nostre comitis Adelasia fidelitatem non prestarent et nobis placuerit eam recipere, debeant nobis et ei nostre uxori prestare; et sint consules habitatores Grosseti. Item feminis, que ad maritandum remanserint, damus licentiam se maritandi per sensum et voluntatem proximorum suorum parentum nobis inquisitis, et aliis dominis eorum: et hoc intelligatur de possessionibus huius terre. Item volumus quod quamcumque alicui dedimus libertatem vel etiam in antea dederimus, firmam semper tenere debeamus; super hiis<sup>4</sup> etiam omnibus volumus ut nullum devetum in Grosseto fiat, nisi fieret per aliam terram nostram de Maritima. Item volumus quod familiares curie nostre, qui rationem et pretium recipiunt a curia nostra pro labore quomodo fieri facimus in terra ista nullum dampnum faciant, quin puniantur a consulibus sicut alii homines de Grosseto. Item volumus quod pro quacumque compara per curiam facta fideiussor aliquis constitutus fuerit, si debitum non fuerit persolutum, debitor possit conqueri de fideiussore consulibus sine contradicione aliqua, et consules teneantur rationem ei inde facere; sed si pignus aliquod positum fuerit ab aliquo pro curia, et illud fuerit opportunum curie, possit ipsum curia rehahere, dum tamen curia pignus aliud bonum secundum debitum in cambium vel etiam fideiussorem donet. Item volumus quod forensium omnium morientium sine penitentia, qui aliquem consanguineum Grosseti non habuerint, omnia bona curie relinquantur; et si cum penitentia decesserint, quodcumque testamentum condiderint ratum habeatur dum tamen aliquod curie indicent. Item homicidas, falsatores et publicos latrones reservamus voluntati et iudicio nostris;

<sup>2</sup> Segue habuerit espunto.

<sup>3</sup> Segue ut espunto.

<sup>4</sup> hiis in interlinea superiori.

alias quascumque rationes nostras reservamus nobis, utpota de portis, foro, portibusque nec non nostri hostes, cavalcatas, guerram et pacem sicut hactenus habuimus; et guidas eodem modo preterquam de superius exceptis. In omnibus et super omnia istud precipue addentes: quod nullus habitator Grosseti civitatis fiat de cetero qui nobis fidelitatem et uxori nostre comitisse Adalasie ac nostris omnibus heredibus post decessum nostrum non prestet. Et, ut omnia supradicta vim et vigorem debitum atque constantiam a nobis, uxore et heredibus nostris perpetius obtineant et in nullo numquam violenter per nos et filios nostros de ipsis omnibus observandis, Albertum Vocçi Grossetanorum consulem, Gherardum Benencase et Franciscum Buccafidelis syndicos comunitatis Grosseti ad hoc constitutos investimus ad penam mille marcharum argenti et ea firma semper tenere, atque uxorem nostram comitissam Adelasiam facere supradictis omnibus parabolam dare promisimus dum tamen a comuni Grosseti que nobis, uxori et filiis nostris omnibus reservamus in toto vel in parte non auferantur vel minuantur; et, si ab aliquo ablatum vel diminutum inde fuerit et ab auferente vel diminuente non emendatum et comune tertio requisitum illud emendare pro posse suo nobis bona fide vel comitisse Adalasie uxori seu filiis nostris comitibus, qui passi fuerint // iniuriam, non fecerit, libertas ista predicta non valeat quam eam manutenere vel observare iuraverit non teneatur. Et ipsi prememorati syndici pro dicta comunitate Grosseti, que nunc est vel erit, sub eadem mille marcharum argenti pena, omnia suprascripta perpetuo nobis, comitisse Adalasie uxori et filiis nostris comitibus observare, facere et adimplere promiserunt. Et sic iurabunt consules semper et omnes de Grosseto habitatores de consulatum<sup>5</sup> in consulatum. Qui consulibus pro facto civitatis sacramentum fecerunt. Actum Grosseti et cetera. Post hoc vero die tertio domina comitissa Adalasia de mandato dicti domini Ildibrandini comitis palatini mariti sui apud Sanctam Floram de Montamiate suprascripta Biliocto et Ranuccio Buccafidelis recipientibus pro toto comuni observare, coram Baldovino de Colle castellano eiusdem castelli Sancte Flore, Griffolino de Castillione Vallis Urcie dapifero eiusdem domine comitisse ac Peronecto domine Agnetis filio, promisit mandans promissionem pretaxatam publice scribi in testimonio aliorum publicatum.

---

<sup>5</sup> Probabile errore del copista per consulatu.